



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Animæ desiderium ad civitatem supernam Hierusalem, 25

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

3. Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina Sanctorum, & universi cœtus beatorum, ut vestris precibus meritisque adjuti, salva nave & integris mercibus, pervenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis.

CAPUT XXV.

*Anima desiderium ad civitatem supernam
Hierusalem.*

1. **M**Ater Hierusalem, civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi; te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. O quam decora, quam gloriosa, quam generosa tu es. Tota pulchra es, & macula non est in te. Exulta & lætare formosa filia Principis, quia concupivit Rex speciem tuam, & amavit decorem tuum, speciosus forma præ filiis hominum. Sed qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideravi ecce læta sedeo, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

2. In lectulo meo per noctem quæsi quem diligit anima mea: quæsi, & inveni: Teneo, nec dimittam illum donec introducat me in domum suam, & in cubiculum suum, gloriosa genitrix mea. Ibi enim dabis
mihi

mihī ubera tua abundantius, & perfectius,
& satiabis me satietate mire mirifica, ita ut
nec esuriam, nec sitiam in æternum. Fœlix
anima mea semperque fœlix in sæcula: si in-
tueri meruero gloriam tuam, beatitudinem
tuam, pulchritudinem tuam, portas, & mu-
ros, & plateas tuas, & mansiones tuas mul-
tas, nobilissimos cives tuos, & fortissimum
Regem tuum in decore suo. Muri namque
tui ex lapidibus preciosis, portæ tuæ ex mar-
garitis optimis, plateæ tuæ ex auro purissi-
mo; in quibus jucundum Alleluja sine in-
termissione concinitur; mansiones tuæ mul-
tæ quadris lapidibus fundatæ, saphiris con-
structæ, laterculis coopertæ aureis: in quas
nullus ingreditur, nisi mundus: nullus habi-
tat inquinatus.

3. Speciosa facta es & suavis in deliciis
tuis, mater Hierusalem. Nihil in te tale,
quale hic patimur: qualia in hac misera vita
cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut nox,
aut quælibet diversitas temporum. Non lu-
cet in te lux lucernæ; aut splendor Lunæ,
vel jubar stellarum; sed Deus de Deo, lux
de luce. Sol justitiæ semper illuminat te.
Agnus candidus & immaculatus, lucidum &
pulcherrimum est lumen tuum. Sol tuus &
claritas tua & omne bonum tuum, hujus
pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio.
Ipse Rex regum in medio tui, & pueri ejus
in circuitu ejus.

4. Ibi hymnidici Angelorum chori. Ibi so-
cietas supernorum civium. Ibi dulcis solem-
nitas omnium, ab hac tristi peregrinatione

ad tua gaudia redeuntium. Ibi prophetarum providus chorus. ibi duodenus Apostolorum numerus. Ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus. Ibi sanctorum Confessorum sacer conventus. Ibi veri & perfecti Monachi. Ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi & sexus infirmitatem vicerunt. Ibi pueri & puellæ, qui annos suos sanctis moribus transcenderunt. Ibi sunt oves & agni, qui jam hujus voluptatis laqueos evaserunt: exultant omnes in propriis mansionibus. Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium.

5. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus est ibi omnia in omnibus, quem sine fine vident, & semper videndo in ejus amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei, sine fine, sine defectione, sine labore. Fœlix ego & vere in perpetuum fœlix, si post resolutionem hujus corpusculi, audire meruero illa cantica coelestis melodix, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ patriæ civibus, beatorumque spirituum agminibus. Fortunatus ego, nimiumque beatus, si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere regi meo, Deo meo, & duci meo: & cernere eum in gloria sua, sicut ipse polliceri dignatus est, dicens: Pater, volo ut quos dedisti mihi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam habui apud te ante constitutionem mundi. Et alibi: Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Et iterum:
Qui

Quī diligit me, diligitur à Patre meo : & ego diligam eum , & manifestabo ei me ipsum.

C A P V T XXVI.

Hymnus de gloria Paradisi Petri Damiani Cardinalis Ostiensis, ex dictis B. Aug.

1. **A**D perennis vitæ fontem mens siti-
vit arida.

Claustra carnis præsto frangi clausa quarit
anima.

Gliscit, ambit, eluctatur exul frui patria,
Dum pressuris ac ærumnis se gemit obno-
xiam.

Quam amisit, cum deliquit, contemplatur
gloriam.

Præsens malum auget boni perditæ me-
moriæ.

2. Nam quis promat summæ pacis quanta
sit lætitia ?

Vbi vivis margaritis surgunt ædificia :

Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.

Solis gemmis preciosis hæc structura ne-
ctitur.

Auro mundo tanquam vitro urbis via ster-
nitur.

Abest limus, deest firmus, lues nulla cer-
nitur.

Hyems horrens, æstas torrens, illic nun-
quam saviunt.

Flos perpetuus rosarum, ver agit perpe-
tuum.

3. Candent lilia, rubescit crocus, sudat
balsamum.